



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quomodò scriptura semel nobis proponit Christum, vt donum Dei, quod in fide cum gaudio suscipere debemus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

participem fieri, ob id vera vitis est Christus, ex qua nos palmites participamus Christi succum, Ioan. 15. & alienæ iustitiæ. Sic nos induimus Christum principio per Fidem in Baptismo, in vita sequimur illum actione virtutū & bonorum operum, & è diuerso ipse Christus nostram suscepit miseriam & peccatum tanquam proprium, hoc purgans & pro illo satisfaciēs, & sic fit, quòd dicitur in Cantic. cap. 5. Dilectus meus, mihi, & ego illi. Sic fides & charitas Christum apprehendunt ac tenent.

CAPVT XXXIII.

ARGUMENTA.

1. *Quomodo scriptura semel nobis proponit Christum vt donum Dei, quòd in Fide cum gaudio suscipere debemus.*
2. *Quomodo scriptura proponit nobis Christū, vt exemplum vite & operum quod imitari debemus.*
3. *Quomodo per Euangelium, verba & facta Christi, Christus ad nos venit, & nos illi adducimur.*



Criptura nobis proponit semel Christum vt donum patris, quod ex misericordia ipsius nobis proprium datur, vt conscientia turbata, illo sese exhilarescat & consoletur: hoc autem sic contingit, quoties audis vel legis quòd Christus aliquid facit aut patitur, quòd ibi non dubites, quòd Christus ipse cum tali facto aut opere seu passione sit tuus, vt super tali re non minus spem tuam loces, quam si tu ipse fecisses hoc opus, aut sic passus fuisses vt Christus. Hoc est verè agnoscere Euangelium, hæc est Dei maxima pietas, quā nullus prophetarum aut

I ángelo=

angelorū satis explicare potest Ita erigitur & consolatur conscientia tua Euangelio, id est, bono nuncio, & quòd Christum nobis applicemus vt donum proprium, & nobis donatū à patre, scriptura testatur Efa. 9. Puer nobis natus est, & filius datus est nobis. Si nobis, nobis inquā, datus est, igitur oportet vt ipsum nobis sic applicemus, vt donum proprium nostrum. Sic Io. 3. Sic pater dilexit mundum, vt filium vnigenitū daret: non vendidit, sed dedit ac propinavit. vt in illi dono nos consolaremur & saluaremur, vti Ro. 8. dicitur: Qui dedit filiū in mortem, quomodo nō omnia cum filio? id est, quia suum dedit Deus filium vt donum, & omnia sua nobis dedit. & 1. Cor. 1. Qui factus est nobis sapientia à Deo & iustitia & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, Hier. 9. Qui gloriatur, in Domino gloriatur, & 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatē dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus in Christo. Sic vbique testatur Apostolus Paulus, dedit semetipsum pro nobis, Galat. 1. ad Titum 3. Omnia illa probant, quoniam Christus nobis datus est, vt donum nobis proprium. Hoc est fundamentum & capitale bonum: sic Christum apprehendere, vt donum tibi proprium donatum, quo non dubites, hoc te facit Christianum: Hec fides te liberat à peccatis, morte & inferno, & facit te omnia vincere. Nā in Christo non est peccatum, neque mors, neque infernus, nec aliquid horum habet in quo quicquam, & ille tuus proprius est per fidem & tu donatus, vt vincas per illum, 1. Ioan. 4. Felix homo qui singula Christi verba & facta ponderat, & sibi applicat vt propria. Sic enim Christi meritum, iustitia, beatitudo, fit mea: ipse meam accipit miseriam, peccatum, infirmitatem, iniustitiam, damnationem, & sua merita distribuit mihi, vt meam miseriam delutiat atque peccatum, quia ipse pro illis satisfecit: deo peccatū & mors ipsum incusare non possunt a deo

deoq; totū Euangeliū admonet nos, & offert Christum cū omnibus donis suis, vt veniamus & credamus, & accipiamus Christū cum omnibus bonis suis. Hęc est maxima consolatio conscientię, scire Christum esse suum propriū cum omnibus bonis suis.

Scriptura proponit nobis Christum vt exemplū, quod vita & opere imitemur, vt quemadmodum in Christo cernis quod ipse ieiunauit, orauit, hominibus charitatem ostendit, iuuuit in necessitatibus: sic tu etiam facias proximo tuo, illi seruiendo, benefaciendo, sicuti tibi fecit ipse. Hoc quoq; admonet Apostolus, Ro. 15. Vnusquisq; vestrum pximo suo placeat in bonū, in edificationem: Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est Psalm. 67. Improperia inimicorum tibi ceciderunt super me. Sic Matt. 11. inquit Christus: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. & 1. Pet. 2. Christus pro nobis passus est, (in hoc scilicet est donum & gratia) vobis relinques exemplum, vt sequamini vestigia eius: scilicet sicut ipse non peccauit, ita nec nos peccemus mortaliter superbia, auaritia, &c. Nec dolus fuit inuentus in ore eius. Sic nec in tuo erga proximum, cū maledicere tur, non maledicebat: cū pateretur, non cōminabatur, &c. hęc vestigia sequi debemus & nos. Præterea quod ieiunauit, corpus castigauit, vigilauit, &c. Sic nos quoq; faciemus, Lu. 21. Videte ne corpora vestra grauentur crapula. Summa, de omnibus dictis, factis & virtutibus Christi debemus exemplū accipere & illud sequi: ipse fuit patiens in passione, sic & tu in infirmitate & passione, Esa. 53. Sicut ovis ad occisionē ducta, non aperuit os suum, &c. neminem contempsit, cū peccatoribus & publicanis manducauit. Mat. 9. & Luc. 19. nullum infirmum abhorruit, sed tetigit & sanauit leprosos, Matt. 8. Patri obediuit vsque ad mortem. Sic nos obedientes esse debemus superioribus, 1. Pet. 2. Subiecti estote &c. Omnis igitur Christi